



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Uniuersus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Dispvt. XXV. De Causâ productiva substantiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

neant, agentis nimirum contraria; quæ impediabant eius productionem, nego antecedens, si circumstantiæ mutantur, hoc est, si agentia contraria vel amoveantur, vel ita debilitentur, ut conservationi rei non obsistant, sicut resistebant primæ productioni, concedo. Unde Angelus, sol, cælum, & similia eadem planè facilitate conservantur, quàm primò producebantur.

VIII. Objicies secundò: lux amoto luminoso statim perit, calor extincto vel amoto igne etiamnum permanet, ergo calor partialiter conservat seipsum. Nego consequentiam, sed hoc in ipsas rerum naturas est refundendum: lux enim sicut momento tota producitur, ita tota momento perit. Quemadmodum in naturas rerum refundere debent oppositum hinc sentientes, cur foret miraculum si Deus sine concursu ullius causæ creatæ formam aliquam materialem produceret, & tamen nullum est miraculum quod hoc modo producat animam rationalem. Res ergo diversæ diversas habent exigentias.

Lux sicut momento tota producitur, ita tota momento perit.

Objicies tertio: ex eo quòd ad præsentiam ignis videamus semper ignem produci, colligimus unum ignem alium producere, ergo ex eo quòd amoto igne calorem adhuc videamus persistere, rectè inferimus calorem se conservare, tam enim oculis & experientiæ assensus in uno casu præbendus est, quàm in altero. Contra, hoc enim probaret calorem conservare se adæquatè, oculis enim, experientiâ, & sensu non cognoscimus Deum ad res creatas concurrere. Resp. ergo ita sensibus & experientiæ fidendum, ut via non præcludatur discursui, per quem sicut cognoscimus Deum cum causis secundis inadæquatè & partialiter concurrere, ita, ubi nulla est causa secunda sufficiens, colligimus Deum res quasdam vel primò producere, vel conservare adæquatè, cum ob rationes supra positas certum omnino sit non posse rem ullam, etiam partialiter se primò producere, aut conservare.

IX. In tantum sensibus credendum, in quantum recte rationi non adversantur.

Hæ sunt præcipuæ rationes quas pro hac sententiâ à suis auctoribus afferri video. Alia plura affert P. Arriaga citatus, & benè refutat. Sed operæ pretium non existimo huic rei diutius insistere.

X.

DISPUTATIO XXV.

De causâ productiva substantiæ.

SECTIO PRIMA.

Variæ referuntur auctorum sententiæ.

I. Prima in hac re sententiâ est Platonis, qui Ideas seu formas statuebat separatas formarum sub-
I. Causam substantiæ statuebat Plato substantiam in communi.

II. Secunda sententiâ est Avicennæ, qui formas quidem accidentales effici à rebus corporeis assererat, ut calorem ab igne &c. formas verò omnes substan-
II. Avicenna distinxit intelligentiam.

III. Tertia celebris est Thomistarum opinio docentium, nullam substantiam creatam immediatè producere aliam substantiam, sed ignem asserunt adæquatè produci à calore, nullo igne concurrente. Sola proinde accidentia asserunt producere substantiam, in virtute tamen substantiæ: imò adæquatam operandi virtutem solis tribuunt accidentibus, & nullam substantiam creatam ajunt respectu ullius effectûs esse immediatè operativam.
III. Alij solis accidentia totam agentis vim tribuunt.

IV. Huic etiam sententiæ ex nostris subscribit Vasq. 1. p. d. 186. Fonf. 5. Met. c. 2. q. 6. f. 3. Rubius tr. 4. de causâ efficiente, qui in secundâ editione videtur mutasse sententiâ. Eidem etiam opinioni favent ex Recentioribus non pauci.

V. Quarta sententiâ est Scoti cum suis, Oceani cum Nominalibus, Durandi cum aliis, quos sequitur P. Hort. d. 9. Phy. f. 3. P. Arriaga d. 11. Phy. f. 2. & 37. P. Oviedo c. 9. Phy. p. 4. & alij, qui totam efficien-
V. Alij solam substantiam dicebant producere substantiam.

R. P. Th. Comptoni Philosophia.

tiam in substantiam tribuunt soli substantiæ, ita ut accidentia ad illam omnino non concurrant, nisi tantum producendo dispositiones.

Quinta demum sententiâ est media, & ait nec substantiæ soli, nec solis accidentibus tribuendam esse productionem substantiæ, sed utraque per modum unius causæ influere immediatè in substantiam quæ producitur. Ignem itaque & calorem simul dicit hæc sententiâ producere ignem, ita Suar. dist. 18. Met. f. 2. Conimb. & alij secuti nonnullos ex antiquis, estque hodie communissima in scholis opinio. Et P. Arriaga nu. 42. fatetur possibile esse accidens quod partialiter producat substantiam. De singulis hisce sententiis aliquid strictim dicendum.

VI. Alij demum substantiam simul cum accidente.

SECTIO II.

An sola accidentia producant substantiam.

Conclusio: Sola accidentia non possunt producere substantiam, hoc est, calor solus non potest producere ignem, si quis aquam &c. sed in substantiæ productione necessariò intervenire debet substantia. Hoc probatur primò ex Aristotele 2. de Generatione t. 53. ubi ait, sicut materia est pati, & moveri, ita forma est agere & movere, ergo censet formam substantialem concurrere ad productionem substantiæ: t. 54. sic habet, præterea facultates, per quas res gignuntur, instrumentarias corporibus attribuunt, utque interea causam quæ ad formam pertinet, auferunt, ergo censet Aristoteles rationem agendi in productione substantiæ communiter esse ipsam formam. Dices, formis tribui efficientiam ab Aristotele, quia ab illis proveniunt qualitates, quæ operantur. Contra, hæc non potest dici vera & propria actio formæ, sed remota solum, & radicalis, nec per illam dicitur forma operari, nisi improprissimè, sicut paries dicitur videri, visâ albedine, cum tamen sola albedo propriè videatur, sic in præsentem solum accidens propriè ageret,
C c 3

I. Ad substantiam non sufficiunt sola accidentia.

Probatur primò ex Aristotele.

scb

substantia verò denominativè tantum, & improprie, quod re ipsa est non omnino agere, sicut paries re ipsa non videtur, sed sola albedo.

II. *Secundo à priori, ex ratione causæ totalis.*

Nemo dat quod non habet.

Calor nec formalis et præcontinet ignem, nec eminenter.

III. *Conf. ex vi forme beatificæ.*

IV. *Tertium argumentum ex Doctore subtili.*

V. *Impugnatur quod dicitur accidens operari in virtute substantia.*

VI. *Nulla virtus à substantiâ in accidens derivatur.*

VII.

Secundo probatur conclusio à priori, causa totalis debet in se continere totam perfectionem effectus, vel formaliter, si sit cauià univoca, vel eminenter seu virtualiter, si æquivoca: sed calor non continet in se totam perfectionem ignis, seu effectum quem producit, ergo non potest esse causa totalis illius, sed simul cum eo concurrere necessariò debet aliqua substantia æqualis saltem perfectionis cum igne producto. Major videtur certa, *nemo enim dat quod non habet*, id est, quod aliquid modo in se non continet, nempe vel formaliter, vel eminenter: si enim quidquam in effectu reluceat, quod non relucet in causâ, effectus hoc recipere ab illâ nequit, sed habere debet aliunde. Minor etiam probatur, nam calor si contineat perfectionem ignis, vel debet illam præcontinere formaliter, vel eminenter: non primum, quod enim hoc modo aliud præcontinet, esse debet saltem æquè perfectum, atque illud quod præcontinet. Hoc ergo modo tantum causa univoca præcontinet effectum, calor autem non est causa univoca ignis, ut constat. Nec etiam præcontinet calor ignem eminenter, quod enim hac ratione præcontinet aliud tanquam causa totalis, debet esse contento perfectius, calor autem non est perfectior igne, ut est manifestum, ergo calor solus, & ut causa totalis, non potest producere ignem nec accidens substantiam.

Conf. idèò secundum omnes intellectus solus non potest producere ut causa totalis & adæquata visionem claram Dei, quia in hoc effectu relucet perfectio aliqua quæ non continetur in virtute naturali intellectus, sed intellectus est illâ imperfectior: Cum ergo in igne reluceat prædicatum substantiale quod est longè perfectius calore, non poterit calor solus ignem producere. Conf. secundo, calor ut quatuor non potest producere calorem ut sex, quia scilicet effectus superat virtutem causæ, sed non minus superat substantia virtutem accidentis, ergo.

Probatur tertio, nam ut rectè Scotus, si hæc ratio non teneat, quod aliud ut causâ principalis æquivoca producit, est illo perfectius, si quis obstinatè defendere vellet Deum non esse perfectiorem rebus creatis, quas producit, non posset convinci.

Dices primò; convincere hæc argumenta, accidens, si operaretur in virtute propriâ, non posse ut causam totalem producere substantiam, sic tamen si operetur in virtute substantiæ. Sed contrâ, accidens quando operatur, operatur in virtute propriâ, ergo. Probatur antecedens, operatur adæquatè per virtutem sibi intrinsicam; sine ullius, præterquam causæ universalis, auxilio, ergo sicut cum ignis in contrariâ sententiâ producit ignem, dicitur operari in virtute propriâ, quia agit per virtutem sibi intrinsicam, ita & accidens in hac sententiâ, cum non minus operetur adæquatè per propriam suam virtutem, quam ignis quando producit ignem.

Dices secundo; operari in virtute substantiæ, est accipere aliquam virtutem sibi à substantiâ communicatam. Contrâ, virtus illa à substantiâ in accidens derivata, vel est substantia, vel accidens: si secundum, idem redit de illo argumentum; si primum, ergo accidens solum non producit substantiam, sed simul cum eo concurret substantia.

Dices tertio; accidens gerit vices & locum substantiæ in productione alterius substantiæ sicut Prorex vices Regis, sicut ergo Prorex habet auctoritatem Regis, quia illius loco substituitur, ita accidens virtutem habet substantiæ, quia illius hic locum ob-

tinet. Contrâ primò, si Rex in loco illo quò mittit Proregem, nullam in se haberet auctoritatem, non posset ullam conferre alteri, seu cum constituere vicarium loco sui, sed substantia secundum adversarios nullam omnino habet vim agendi respectu alterius substantiæ, ergo non potest ullam conferre accidenti. Contrâ secundo, Rex, quando constituit Proregem, aliquam ei virtutem moralem confert, sicut ipsi Regi communicata est quando ascitus est in regnum: ergo ut accidens sit loco substantiæ, conferri ipsi debet aliqua virtus physica à substantiâ, sicut ibi confertur Proregi virtus, & potestas moralis à Rege: sicut enim Prorex est moraliter loco Regis, ita accidens est physicè loco substantiæ: sed nihil huiusmodi physicum derivatur in accidens à substantiâ, nam ut proximè dictum est, vel illud est substantia, vel accidens; sed neutrum, ut ibi ostendi, ergo accidens solâ suâ virtute, sibi quæ adæquatè intrinsicè produceret substantiam, quod est impossibile.

Imò potiori jure secundum hunc modum philosophandi diceretur substantia operari in virtute accidentis, quam accidens in virtute substantiæ, sicut paries videtur in virtute albedinis: & si respondeatur parietem omnino non videri, sic etiam dico substantiam omnino non agere, vel si propterea substantia agit quia agit ipsius qualitas, sic & paries videbitur dum albedo, ipsius qualitas videtur, est quæ hac in parte vicaria parietis.

Dices quartò; calor (idem est de aliis accidentibus respectu suarum substantiarum) est virtus substantiæ, seu ignis, ad operandum, ergo poterit loco illius operari. Distinguo consequens, poterit loco illius operari ea ad quæ habet vires, concedo consequentiam; ea ad quæ non habet vires, nego: sic enim aliquid daret quod non habet. Sicut si rex daret proregi auctoritatem ad hoc vel illud tributum imponendum, hanc vel illam causam judicandam &c. non propterea posset alia tributa imponere, vel causas alias in dicare.

Instabis, substantia communicat accidenti omnem vim suam, non ad accidentia tantum producenda, sed etiam ad substantiam. Contrâ primò, substantia nullam habet per adversarios virtutem ad producendam substantiam, ergo nullam potest communicare. Contrâ secundo quæcumque dat substantia virtutem accidenti, est accidenti intrinsicæ, & cum ipso identificata, utpote ipsa illius entitas, ergo dum per eam operatur accidens, operatur virtute propriâ. Contrâ tertio, accidens non est capax in suâ entitate solâ, ut habeat vim sufficientem ad producendam substantiam, sic enim deberet esse vel æquè perfectum, vel perfectius substantiâ quam producit, ergo non potest talis virtus in accidens à substantiâ derivari.

Unde notandum latum discrimen inter res morales, & physicas; in rebus enim moralibus confertur personæ aliqua auctoritas distincta à personâ, cui confertur; hæc autem nihil confertur accidenti distinctum ab illius entitate, ergo si ex naturâ suâ non possit producere substantiam, non poterit illam producere ob aliquid ipsi collatum à substantiâ, cum ab illâ nihil accipiat præter intrinsicam suam entitatem, & naturam.

Res hæc exemplis reddetur clarissima. Imbelles quidam milites habentes ducem strenuum, præcisè ex eo quod sint milites illius, non possunt hostem devincere, nisi Dux aliquid ipsis conferat, & aliquo modo influat, vel unâ cum iis pugando, vel verbis animos addendo, aut præbendo consilium; vel aliâ quâpiam ratione cum iis concurrendo, Pauper etiam quispiam servus heri opulentissimi, nihilo prop-

Accidens in productione substantia non potest gerere vices substantia.

III

VIII.

Substantia hæc potest operari in virtute accidentis quàm è contrâ.

IX.

Accidens non potest loco substantia producere nisi id ad quod habet vires.

X.

Vires accidentis est illi intrinsicæ, sic non apta ad producendam substantiam.

XI.

Discrimen inter res morales, & physicas.

XII.

Res hæc illustratur exemplis.

terea est ditior, nisi herus aliquid ei pecuniae conferat. Ita similiter accidens, nisi aliquid praeter materiam suam entitatem, & vim quam habet intrinsecam, accipiat a substantia, non fiet potentius, sed manebit in tenui sua re, nec plus poterit quam ex natura sua, & propria virtute possit. Imo quicquid agit, agit virtute propria: & licet concederemus agere nomine substantiae, non tamen ageret virtute substantiae, sed propria, nec plus posset, sicut nec puer plus posset, qui nomine viri fortis, ingens aliquod pondus levare contenderet. Tandem res eo devolvitur, ut idem sit agere in virtute substantiae, & in virtute accidentis, cum tota virtus activa substantiae, juxta adversarios, sit accidens.

Puer nomine viri fortis non plus potest, quam nomine proprio.

XIII. Assignari nequit in virtute cuius rana, rana hic & nunc producat.

Rana in communi.

XIV. Non est cur magis producat in virtute ranarum praecedentium, quam sequentium.

XV. Nec producat in virtute ranarum vagarum, quam determinatarum.

XVI. Motus est causa caloris.

haec loca Aristotelis explicanda etiam sunt ab auctoribus contrariae sententiae, lux enim operatur, & tamen non habet contrarium. Deinde, eodem modo ait Aristoteles non pati nisi contraria, non tamen propterea dicit, opinor, quicquam accidentia contraria, ut calorem & frigus se invicem recipere.

duotione substantia.

Resp. itaque haec ad summum probare, cum substantia necessario debere concurrere accidens. Secundo, nullas propositiones magis incertas esse & fallaces quam reduplicativas, nunc enim reduplicatur ratio formalis, nunc sola conditio, ut ignis agit in quantum applicatur. Unde & ab Aristotele reduplicari hic potest calor ut dispositio ignis, vel ut conditio necessaria ad agendum, esto calor nil agat. Et certe omnis actio substantiarum in se invicem pendet ab accidentibus, si enim substantiae existerent sine accidentibus, non inter se mutuo agerent. Hoc tamen non arguit quando jam accidentia disposuerunt subiectum, eadem ulterius producere, saltem adaequate formam substantialem, cum non habeant virtutem ad hoc sufficientem.

II. Resp. solum velle Aristot. accidens debere concurrere cum substantia.

Objicies secundo; quod accidens sit imperfectius substantia, non arguitur non posse illud eam producere, nam actio qua producitur substantia, est illa longè imperfectior, imò secundum multos est accidens, ergo si actio imperfectior substantia possit substantiam efficere, poterit & solum accidens. Resp. magis esse disparitatem inter modum concurrendi actionis & accidentis, actio enim non concurrat per modum principij, & causa in actu primo praecedentis effectum, sed solum est determinatio causae ad agendum, & applicatio virtutis illius in actu secundo. Unde sicut applicatio virtutis causae in actu primo, nempe approximatio, est quid longè imperfectius effectui, ita & imperfectior esse poterit applicatio ejusdem in actu secundo. Accidens verò juxta auctores contrariae sententiae, est ipsa totalis causa & principium agendi, & quod solum producit effectum virtute sibi adaequate intrinseca: unde debet illum praecedere, quod tamen non potest, ut ostensum est.

III.

Disparitas inter accidens, & actionem in productione substantiae.

Objicies tertio; potentia & actus debent esse in eodem genere: sed omnis actio, quae est actus potentiae generativae, est accidens, ergo est potentia ipsa. Non urget, primo enim cum Deus solus accidens aliquid producat, non dicent credo potentiam illius esse accidentalem, cum quicquid est in Deo, sit substantia, & Deus. Secundo, universim loquendo, est falsum, dictum illud, si sumatur, ut sciet; nam materia prima est potentia ad formas accidentales, & tamen non est accidens; item est potentia ad formas spirituales, & tamen non est spiritus. Deinde, hoc argumentum probat contra adversarios non posse accidens producere substantiam, cum potentia & actus debeant esse in eodem genere.

IV. Dicit potentia, & actus esse debent in eodem genere.

Retorquetur argumentum.

Dices; sensum esse, potentiam remotam esse debere in eodem genere, non proximam. Contra, si intelligi hoc debeat de potentia remotà, ergo substantia non potest per accidens producere accidens, tunc enim potentia remota non esset in eodem genere cum effectu, seu actu. Per potentiam ergo & actum illo loco intelligit Aristoteles materiam primam, seu potentiam passivam in ordine ad constituendum unum per se proprie & rigorose; non enim potest constituere unum per se substantia cum accidente, sed solum cum alia substantia.

V.

Quid hic intelligat Aristoteles per actum & potentiam.

Objicies quarto; nil vetat aliquid imperfectius, ut causam instrumentalem, producere rem se perfectiorem: modò causa principalis sit perfectior; ac proinde nil obstat quominus calor, ut instrumentum ignis, producat ignem, est enim causa tantum instrumentalis, ignis autem principalis. Sed contra, quan-

VI. Si accidens solum pro instrumentum, est causa illius principalis.

SECTIO III.

Objectiones contendentes sola accidentia producere substantiam.

I. Difficultas circa mentem Aristoteli in pro-

Objiciunt primo Aristotelem 7. de Generat. t. 50. dicentem; nihil esse aptum agere; nisi quod habet contrarium. Item de sensu & sensibili, cap. 4. ait ignem non agere in quantum ignem; sed in quantum calidum, seu in quantum habet contrarium. Sed contra,

do accidens solum producit substantiam, nulla omnino est alia causa, quæ ad illius productionem concurrat, ergo accidens ibi est causa principalis, & adæquata virtus quæ illam producit, non ut quod, sed ut quod, nulla enim est illic alia causa principalis, seu quæ concurrat ut quod.

VII. *Quamvis arguitur à conglutinatione.*
- Objicies quintò; sæpè videmus produci substantiam in præsentia solorum accidentium, ergo tunc nulla concurrat substantia. Antecedens ostenditur primò, dum à ferro candente accenditur stuppa. Secundò, dum rana & alia insecta producuntur ex putri. Tertio, dum in furnis Ægypti excluduntur pulli. Quartò, in formà cadaveris. Quintò, dum ex reflectione radiorum solarium, vel eorum coactione in vitro, aut ex collisione duorum lapidum producitur ignis. Sextò, quis neget si gutta aquæ infundatur in species vini consecrati verum iri in vinum? & tamen ibi nulla est substantia vini, ergo sola accidentia in eo casu producant substantiam, & vini formam inducunt in materiam aquæ.

VIII. *Resp. experientias nihil probare, ubi est aperta ratio in contrarium.*
Sed contrà, experientia nihil probant ubi est manifesta ratio in contrarium, quam hic esse ostendimus sec. præcedente. In illis ergo experientiis recurrendum est ad causam aliquam universalem, cælum sc. solem, vel in aliorum defectu ad ipsam etiam causam primam.

IX. *Obicit. Non esse philosophicum recurrere ad Deum.*
Objicies sextò; Parum esse philosophicum recurrere ad Deum. Contrà, idem ipsi facere debent in rerum conservatione; quando enim accidentia ferri candentis producunt ignem in stuppâ applicatâ, amoto ferro non est aliud agens, quod ignem conferret præter Deum.

X. *Resp. in quibusdam casibus esse maxime philosophicum.*
Deinde dico, maxime esse philosophicum ad Deum in iis casibus recurrere, ubi aliquorum effectuum nulla assignari causa secunda potest; ad Deum enim, ut auctor naturæ est, spectat, non solum res omnes creare & conservare, mundum gubernare, & cum causis particularibus ad omnes earum effectus concurrere, sed etiam supplere defectus.

XI. *Quod in navi gubernator est, in curru auriga, in choro præceptor, in civitate lex, in exercitu Imperator, hoc in mundo Deus, cum hoc tamen (inquit) discrimine, quod illis principatus laboriosus, perturbatus, & anxiosus sit, Deo autem expers omnis maestitia, & laboris, nullamq; ei affert debilitatem, aut fatigationem.*
In quam rem præclare Aristoteles l. de mundo ad Alex. c. 9. *Quod in navi gubernator est, in curru auriga, in choro præceptor, in civitate lex, in exercitu Imperator, hoc in mundo Deus, cum hoc tamen (inquit) discrimine, quod illis principatus laboriosus, perturbatus, & anxiosus sit, Deo autem expers omnis maestitia, & laboris, nullamq; ei affert debilitatem, aut fatigationem.* Sicut ergo Imperatoris in exercitu munus est, non generalem solum omnium curam gerere, sed militis etiam subinde munus obire, ubi usus venerit, & necessitas postularit; ita & ad Deum pertinet non solum generalem universi providentiam habere, & modo quodam particularium subinde causarum quasi munus obire, & illarum, ubi res tulerit, vices gerere.

SECTIO IV.

Utram substantia sola, sine concursu accidentium, sit causa adæquata alterius substantia.

I. *Status quæstionis.*
ID est, utrum dum producitur ignis ab alio igne, causa adæquatè productiva illius sit ignis, an simul cum igne concurrat calor ad illius productionem. Affirmat Scotus, Hurt. Arriaga, Ovied. & alij supra s. l. citati n. 4.

II. *Dicunt aliqui accidens semper concurrere cum substantia.*
P. Suar. verò d. illà 18. sect. 1. ait substantiam sine concursu accidentis nunquam producere aliam substantiam: ad quod tamen probandum, inquit ipse, non est in re tam abditâ quærenda evidens aliqua ratio, & a priori, sed sufficiunt conjecturæ aliquæ, &

rationes deductæ ab experientiis, atque à posteriori, quæ si rem hanc non convincant, magnam tamen secum probabilitatem afferunt.

Prima conclusio: substantia immediatè & sine concursu accidentis producit aliquando substantiam, per actionem sc. emanativam. Probatur primò, Angelus, anima, & aliæ substantiæ producunt per emanationem suam substantiam, sed substantia non est accidens, sed substantia, vel, ut aliqui loquuntur, est quid substantiale, ergo substantia aliqua substantiam producit immediatè. Ratio autem hujus est, quia productio nullius rei est prior productione substantiæ, ergo nihil debet illâ prius produci, ergo nec intelligi quiddam potest ut comprincipium pariale cum substantiâ illam efficiens, cum sit omnibus aliis prior, saltem negativè, id est, nulli posterior, seu nihil est illâ prius, præter ipsam substantiam animæ, vel Angelis. Conf. prius debet substantia compleri substantialiter, quàm accidentaliter, ergo primus ejus actus est substantia.

Secunda conclusio: excepta actione emanativâ, nulla substantia immediatè potest sine concursu accidentis producere aliam substantiam: ita P. Suar. citatus, estque communior inter recentiores opinio. Variæ à nonnullis ad hujus conclusionis probationem afferuntur rationes à priori, quæ tamen vereor ut assequantur intentum.

Probatur ergo conclusio primò, sicut se habet substantia creata ad esse, ita se habet ad operari, sed quoad esse non potest connaturaliter existere sine accidentibus, ergo nec sine iis connaturaliter operari, ergo ad operationem requirit consortium accidentium, per quæ in operando & producendo sibi simile compleatur, & coadjuvetur. Conf. substantia creata ex essentiâ suâ est ens, non per essentiam, id est, est ens quod intra se non continet intrinsecè omnem perfectionem, sed quod essentialiter petit compleri intrinsecè per accidentia, ergo nec debet esse principium per essentiam, seu in suâ essentiâ continens totam rationem formalem principij, sed sicut ad esse eget complemento accidentium, ita & ad operari, cum modis operandi sequatur modum essendi.

Dices primò; non minorem proportionem habet, substantia cum aliâ substantiâ, ignis sc. cum igne quàm accidens cum accidente, calor nimirum cum calore, ergo sicut calor per se immediatè & adæquatè omnia alio excluso, producere potest calorem, poterit similiter ignis solus producere ignem.

Resp. primò, negando consequentiam, licet enim æqualis sit proportio entitativa inter substantiam & substantiam, atque inter accidens & accidens, repugnat tamen substantiam esse per se principium adæquatè operativum, quia esse contra limitationem, & imperfectionem propriam substantiæ creatæ, non sic contra limitationem propriam accidentis, accidens enim, utpote entis ens, quidquid habet perfectionis, habet ut sit complementum substantiæ, sicque ex genere suo est quid imperfectum, ac proinde quantumcunque habet virtutis, habet tantum in genere accidentis. Sicut licet secundum omnes detur accidens supernaturalale, negatur tamen posse dari substantiam supernaturalem, quia sc. argueret nimiam perfectionem in substantiâ, non tamen in accidente, quod cum ex genere suo sit imperfectum, quantumcunque crescat illius perfectio, crescit tantum in genere imperfecto. Præcipua tamen ratio cur dicamus accidens producere adæquatè accidens, & substantiam non adæquatè producere substantiam, desumi debet à posteriori ab experientiis & effectibus, quæ est præcipua probatio hujus conclusionis, ut postea videbimus.

III. *Angelus per emanationem immediatè producit substantiam.*

IV. *Accidens una cum substantia concurrens ad substantiam.*

V. *Substantia esse æquis sine accidentibus, ergo nec operari.*

Modis operandi sequatur modum essendi.

VI. *Dices, est sufficiens proportio substantia ad substantiam.*

VII. *Resp. tamen esse contra limitationem substantia.*

VIII. Secundò responderetur, calorem, licet producat alium calorem per se immediatè, & adæquatè, non tamen sibi in intensiõne æqualem, sed calor ut sex ex.g. producit calorem ut quatuor, vel quinque, & semper effectum minoris intensiõnis quàm sit causa, cum ergo substantia non possit intendi, utpote indivisibilis intensivè, & ex exemplo accidentis ostendatur non posse causam aliquam solam producere effectum sibi in intensiõne æqualem, substantia sola nihil poterit producere. Quod argumentum saltem urget in causis substantialibus univocis.

IX. Dices secundò; materia recipit formam substantialem per se adæquatè sine concursu accidentis, ergo & causa efficiens aliam substantiam efficiet per se adæquatè, & sine alterius concursu. Nego consequentiam, ratio est quia accidens non potest recipere formam substantialem, cum forma substantialis ordinetur ad faciendum unum per se cum suo subjecto, cum accidente autem non potest facere unum per se, nec illud informare, in causa autem efficiente non requiritur ut uniatur suo effectui, nec ut unum per se cum illo constituat.

X. Secundò, & præcipuè probatur conclusio à posteriori, substantiis enim omnibus creatis, ut celo, soli, elementis, & aliis videmus potentias quasdam accidentales à naturâ tributâs, quibus operationes suas exercent. Cum ergo aliunde habeamus res varias concurrere ad effectus se perfectiores, ut species visibilis cum oculo concurrat ad visionem; species intelligibilis cum intellectu ad intellectionem, intellectus & voluntas ad actus supernaturales, &c. Verosimile est potentias hæc accidentales substantiis ob suam limitationem datas esse, hæcque iis in omni operatione uti, ac veluti instrumentis indigere.

XI. Dices; ad summum probare hoc argumentum, substantiæ dari potentias accidentales ad operationes accidentales, & ad disponendum subjectum, non tamen ad substantiales. Contrâ primò, si universaliter substantiæ dentur instrumenta accidentalia ad operandum, signum est fundatum hoc esse in illius naturâ, & ob suam limitationem illa universim requirere, ergo etiam ad producendam substantiam, si enim ob limitationem requiratur substantia instrumenta accidentalia ad operationes accidentales, quidni etiam ad substantiales? cum hæc sint illis perfectiores.

XII. Contrâ secundò, non habemus aliud fundamentum asserendi calorem producere calorem, & non albedinem producere albedinem, nisi quod in præsentia caloris semper videamus produci calorem, & non in præsentia albedinis albedinem, sed videmus semper in præsentia caloris intensi produci ignem, ergo cum nulla sit repugnantia ut calor simul cum igne producat ignem, ut ostensum est n. 10. non est cur quis calorem neget de facto ignem producere. Cur autem, quando in præsentia solorum accidentium producit substantia, accidentia sola illa non producant, dixi supra s. secunda.

SECTIO V.

Quanam accidentia concurrant ad productionem substantia, num qua in agente, an qua in passo.

I. Resp. utraque accidentia concurrere, tam ea scilicet quæ sunt in agente, quàm quæ in passo. Est contra P. Hurt. d. 2. de Gen. f. 2. §. 30. ubi latè contendit, positâ sententiâ quæ docet accidens producere substantiam, debere eam produci ab acciden-

Tam concurrunt accidentia in agente, quàm in passo.

tibus, quæ sunt in agente, non quæ sunt in passo. Nobis etiam hac in parte adversatur P. Sua. d. 14. Met. f. 2. Rub. 1. de Gen. c. 4. tr. 3. q. 11. & alij.

Probatur primò, accidentia quæ sunt in passo, æquè sunt apta producere effectum, atque ea, quæ sunt in agente, & æquè, imò meliùs applicata, ergo illum producent. Antecedens probatur, nam accidentia in passo sunt dispositio sufficiens ad inducendam formam, seu sunt ultima dispositio ad illam, ergo possunt illam æquè producere ac accidentia in agente, quod enim est sufficiens dispositio ad formam, est per se loquendo, si aliunde sit activum, sufficiens ad illam partialiter producendam.

Dices primò; accidentia in passo non sunt instrumenta agentis, sed potius passi, cum non sint conjuncta agenti. Distinguo antecedens, non sunt conjuncta quoad esse, concedo antecedens; quoad causalitatem, nego: sunt enim instrumenta agentis, quia illius sunt instrumenta, à quo elevantur ad agendum, seu quicum in operatione concurrunt.

Dices secundò; saltem in conservatiõne non possunt accidentia in passo concurrere ad producendum seu conservandum formam substantialem, cum sint proprietates illius in conservatiõne, & consequenter ipsa posteriores. Resp. primò, concedendo totum, cujus rei sufficiens ratio assignatur in argumento, quæ tamen non urget in primâ productiõne. Resp. secundò, probabile esse non omnia accidentia in passo esse proprietates in conservatiõne formæ, sed aliquas adhuc esse dispositiõnes, ergo illa saltem concurrere poterunt ad conservatiõnem formæ. Resp. tertio, licet omnes sint proprietates, & posteriores formâ, adhuc posse concurrere ad formam conservandam, non quidem ut illa pars accidentis conservet illam partem formæ cujus est proprietas, sed proximam, & sic pars formæ A efficit partem A accidentis receptam in eadem secum parte materiæ, pars autem A accidentis non conservat instrumentaliter eandem partem A formæ, à qua in conservatiõne producit, sed partem B proximam, & sic de reliquis.

Imò alicui non improbabile fortè videbitur partem A caloris, non solum conservare instrumentali- ter partem B formæ sibi proximam, sed alias omnes præter partem illam formæ, à qua ipsa conservatur, ac proinde totum calorem præter partem A maris subdici posse conservare partem A formæ, sicque omnes partes totam formam, nisi quòd singulæ non concurrant ad eam formæ partem conservandam, à qua ipsæ conservantur, seu cujus sunt proprietates. Hoc tamen postremum, quia nonnihil habet difficultatis, ob mutuam prioritatem, quæ inde sequi videtur, melior est prior pars hujus solutionis, nempe, ut pars caloris, quæ in secundo instante conservatur à parte A ignis, conservet partem B caloris, & pars B caloris partem C ignis, & sic deinceps.

SECTIO VI.

Argumenta contenduntia solam substantiam producere substantiam.

Objicies primò; substantia per se est proportionata ad producendam aliam substantiam, ergo producit. Hoc solum est supra f. 4. n. 7. Distinguo ergo antecedens, est proportionata in esse entis, concedo antecedens; in esse causæ, nego: esse quippe contra limitationem substantiæ operari sine concursu potentialium accidentium, ut à posteriori colligimus ab experienciis.

Objicies secundò; ignis solus continet in se perfectionem

II. Ratio est, quia utraque sunt æquè apta.

III. Accidentia in passo possunt esse instrumenta agentis.

IV. An accidentia etiam conservent formam substantialem.

V. Partes caloris frigidis, &c. quas partes formæ maris substantiarum conservent.

I. Substantia est proportionata substantiæ in esse entis, non in esse causæ.

II.

*Sola præ-
continentia
effectus, non
arguit vim
completè il-
lius produ-
ctivam.*

fectionem alterius ignis, ergo poterit ipsum solus producere, & sine concursu accidentis. Retorqueo argumentum; ignis solus continet in se perfectionem alterius ignis, ergo non eget materiâ concurrente, sed sine illius concursu poterit ignem producere, aut etiam sine concursu ullius causæ universalis. Sicut ergo ibi, licet ignis contineat totam perfectionem ignis, adhuc non potest solus illum producere, ita nec hic, ob limitationem & cætera sec.

III.

*A qua cau-
sâ producitur
forma
cadaveris.*

Objicies tertio; saltem aliquæ substantiæ producuntur ab aliis immediatè, ut forma cadaveris, præsertim cum aliquis moritur subito, & nulla accidentia apparent, quæ cum ullâ causâ substantiali possint formam illam producere. Responderi potest primo, cælum esse causam principalem formæ cadaveris, & operari mediis quibusdam accidentibus in operando similiter universalibus. Quod si nulla sint accidentia, quæ concurrere possint cum substantiâ cæli ad producendam formam cadaveris, dici potest causam primam solam illam producere. Nec est inconvenientens ad causam primam recurrere pro tam villi formâ, cum nonnulla non ob perfectionem, sed ob imperfectionem Deo tanquam causæ efficienti ascribantur, ut secundum multos quantitas dicitur produci à solo Deo, quia sc. est passio materiæ primæ, rei tam imperfectæ, utpote quæ nullius, ut aiunt, rei sit effectiva, ac proinde illa passio tribui debet generanti.

IV.

*Aliud est de
operatione
ad intra &
ad extra.*

Objicies quarto; substantia sola sine concursu ullius accidentis producit suam substantiam, ergo eodem modo producere poterit aliam quamcumque substantiam. Resp. negando consequentiam. Disparitas est, quia substantia à naturâ intenditur ad perficiendam essentiam, à qua proinde ab intrinseco, & per emanationem producit. Unde sicut substantia in solâ essentiâ recipitur, ita ab illâ solâ, ut ejus proprietas, producit: secus in iis contingit, quæ producuntur ad extra.

V.

*Licet acci-
dens solum
producat
accidens,
non sequi-
tur idem de
substantiâ.*

Objicies quinto; accidens solum producit aliud accidens, calor ex. g. calorem, ergo & ignis solus producere poterit ignem, cum tanta sit proportio inter ignem & ignem, quanta inter calorem & calorem. Hæc etiam obiectio soluta est sec. quarta. n. 7. Resp. itaque distinguendo consequens, tanta est proportio in ratione entis, concedo consequentiam; in ratione producentis & producti, nego, ob rationes illic positas. Addo, similitudinem in prædicatis univocis nihil facere ad proportionem in ratione producentis & producti, omnes enim animæ rationales sunt sibi in prædicatis similes, una tamen aliam non producit. Sicut ergo dari potest forma, quæ aliam sibi similem omnino producere nequeat, quidni dari etiam poterit forma, quæ aliam producere possit solum inadæquatè? ut nos, duce experientiâ contendimus fieri in productione omnis formæ substantialis materialis.

VI.

Objicies sexto; hinc sequi, etiam ubicationem & durationem in omnes effectus influere, cum ad illarum præsentiam effectus semper emergat. Concedunt aliqui consequentiam, & dicunt rem unam in aliam influere nihil esse aliud, quàm hanc ad illius præsentiam emergere, præsertim si illa ad hujus existentiam requiratur.

VII.

*Ubicatio, &
duratio non
influunt in
rerum produ-
ctionem.*

Sed contra, omnes formæ substantiales producuntur etiam ad præsentiam quantitatis, nec aliter produci naturaliter possunt, & tamen nullus dicit quantitatem in eas influere. Item anima rationalis, licet conservari possit sine materiâ, primò tamen, nisi illi unita, produci naturaliter non potest, in quam tamen materia non influit. Resp. itaque negando sequelam, nullum enim indicium habemus,

quod ubicationes & durationes sint operativæ, quod tamen habemus de accidentibus: calor enim in aquâ manum immixtam calefacit, & sic de aliis: unde, sufficientem hinc rationem habemus, cur accidentia simul cum substantiis ad substantiam producendam concurrant, non tamen quod concurrant ubicationes & durationes.

SECTIO VII.

*Virum substantia producat in se
accidens.*

Prima sententia negat, sed omnem efficientiam ait tribuendam esse solis accidentibus; substantias verò in creatis nihil omnino immediatè producere affirmat, sed solum per accidentia. Hæc opinio tribui communiter solet Thomistis.

Conclusio: substantia per emanationem aliqua in se accidentia producit: unde tota ratio agendi in creatis non est tribuenda solis accidentibus: ita Sua. d. 18. Met. l. 3. n. 3. Hurt. d. 9. Phy. l. 1. n. 23. Arria. d. 11. Phy. l. 2. n. 11. Qviedo c. 9. Phy. p. 3. n. 1. & communis sententia.

Probatum primò experientia; aqua calefacta ad pristinam sefrigiditatem reducit, sed ibi nullum est accidens, quod frigus illud producat, ergo producit ab ipsâ aquæ substantiâ. Dices cum Javello, latere in aquâ occultam quandam qualitatem, quæ amissum frigus in ea denuò efficiat. Contrà primò, gratis enim in aquâ statuitur hujusmodi qualitas, unde, inquit Hurtado, ubi quis argumento premitur, confugere ad istiusmodi causas occultas est aram erigere ignoto Deo. Contrà secundò, saltem aqua producit occultam hanc qualitatem.

Dices, produci qualitatem illam, non ab aqua, sed à generante aquam, qui enim dat formam, dat consequentia ad formam. Contrà, generans seu producens formam aquæ sæpè abest, imò frequenter perit, ergo tunc occulta hæc qualitas conservari debet à substantiâ aquæ, ergo aliqua efficientia tribui necessariò debet substantiæ: si autem possit substantia accidens illud conservare, quidni & primò producere? cum conservatio, aliud nihil sit, quàm iterata productio. Dices, in eo casu conservatur illa qualitas à Deo. Contrà, jam in id incidant quod præcipuè aliis obijciunt, nempe confugiunt ad Deum, idque sine necessitate; cum illic sit causa sufficiens, quæ conservare qualitatem illam possit, ipsa sc. forma aquæ. Deinde, sicut occultam hanc qualitatem in aquâ produci dicunt à Deo, ita dicant frigiditatem ipsam à Deo immediatè produci, & sic non erit opus hac qualitate.

Secundò probatur conclusio, nam saltem actus vitales, intellectus præsertim & voluntatis procedere immediatè debent à substantiâ animæ, ut suo loco ostendam, in lib. de Anim. d. 12.

Probatum tertio, substantia concurrat materialiter in quantitatem & alias formas accidentales; quidni ergo ad easdem concurrere poterit efficienter? cum concursus materialis non minùs sit verus & physicus influxus, quàm concursus causæ efficientis.

Dices, influere materialiter est pati, pati autem est quid ex genere suo imperfectum, sicque hoc nomine Deo repugnans: agere verò perfectionem sonat & dignitatem, adeoque substantiæ non concedendum. Contrà, ergo multò minùs concedendum est accidenti. Resp. itaque agere aliquid quasi sui juris, & cum independentiâ, arguere perfectionem; at verò agere dependentem ab alio, ad nutù scilicet causæ primæ, & iis tantum legibus quæ ei à Deo præscribun-

*I.
Prima sen-
tentia est
negativa.*

*II.
Substantia
producit in
se aliqua
accidentia.*

*III.
Probatum
dum aqua
se ad frigi-
ditatem re-
ducit.*

*IV.
Frigus il-
lud aqua
non produ-
citur à ge-
nerante.*

*V.
Secundò
prob. in
actibus vi-
talibus.*

*VI.
Tertio in
causâ ma-
teriali.*

*VII.
Quæ effi-
cientia re-
pugnat sub-
stantiæ.*

Scribuntur, & cum essentiali opis illius indigentia, non est nimia perfectio, nec creatura deneganda.

VIII. Objicitur primò: in Sanctissimo Sacramento Species vini non minùs se ad suam frigiditatem reducunt, si calefiant, quàm aqua se reducit ad suam; sed ibi nulla remanet substantia, ergo reductio illa ascribi tanquam radici debet alicui accidenti, quod post consecrationem remanens, frigus illud denuò producit. Resp. negando consequentiam, sed reductio illa vini ad justum frigoris temperamentum fit à Deo, ad celandum mysterium. Quod asserere omnes debent quando species corrumpuntur, produci sc. à Deo materiam, in quam nova forma substantialis inducatur.

Species Eucharistica à Deo ad suum temperamenti reductur.

IX. Objicitur secundò: si substantia producat accidens, sequitur aliquid nobilius specificationem suam sumere ab ignobiliore. Sed contrà, omnes enim fauentur substantiam materialiter concurrere ad accidens, ergo hoc modo sumit ab eo specificationem. Resp. itaque nihil in hoc esse incommodi, cum rem sumere specificationem ab alio, nihil aliud sit, quàm dicere relationem transcendentalem ad illud: res autem quæque perfectissimæ relationem transcendentalem dicunt ad varia, multò se imperfectiora. Sic anima rationalis relationem transcendentalem dicit ad materiam; & actus spiritualis, imò supernaturalis ad negationes, & objecta quæque vilissima.

Res quæque perfectissimæ relationem transcendentalem dicunt ad imperfectissimas.

X. Dices; ergo aliquid perfectius ordinatur per se ad imperfectius. Resp. si per ordinari per se intelligatur solùm dicere relationem transcendentalem ad illud, concedo; sic enim sol respicit lucem, potentia actus, essentia passiones &c. si verò per ordinari per se intelligatur ordinari tanquam ad finem ultimum, seu finem cui, nego: sic enim, licet potentia ordinetur ad actus tanquam ad finem, Qui, actus tamen ordinantur ultimò, seu tanquam ad finem cui, ad potentiam, & passiones ad essentiam, utpote quam ornant, & perficiunt.

Passiones ordinantur ad essentiam.

XI. Notandum verò, licet productio passionum vocetur emanatio, est tamen vera & propria actio: dicitur autem emanatio quia necessitate quadam naturæ sequitur essentiam. Qua etiam de causâ productionis & proprietatum tribuitur generanti, quia sc. ab essentiâ à generante productâ necessariò promanant: sicut qui dat arborem, dat fructum, qui in eâ singulis annis enascitur, licet sola arbor fructum illum producat.

Cur productio passionum tribuitur generanti.

SECTIO VIII.

Possine Substantia extra se producere accidens.

I. Prima sententia est P. Hurrado d. 9. Phy. l. 3. n. 22. P. Arria. d. 11. Phy. l. 2. n. 17. & aliorum asserentium substantiam, ignem v.g. aquam, &c. posse accidentia quæ in se producunt, puta calorem, frigus, & alias qualitates activas, in subjecto quovis à se distincto producere. De facto tamen aiunt accidentia hæc in subjecto extraneo ab iis non produci, quia præveniuntur à calore, & frigore in ipsis substantiis existentibus. Unde, inquirunt, nec ignis unquam calorem, nec aqua frigus in subjecto applicato producit, sed solus calor in igne calorem in manu efficit, & frigus in aquâ similiter efficit frigus: licet enim possint ignis & aqua qualitates hæc producere, magis tamen connaturale est ut producantur à calore & frigore, tanquam à causis magis his effectibus proportionatis, utpote univocis. Quare, inquit Arriaga, si ignis miraculosè existeret sine omni ca-

I. Sent. ait posse substantiam producere extra se accidens.

IV

lore, produceret calorem in passio sibi applicato. Hæc sententia nunquam mihi placuit; unde dico primò: hujusmodi accidentia non posse omnino ab igne vel aquâ produci in subjecto ab iis distincto, id est quantumvis aut ignis sine omni calore, aut aqua sine frigore miraculosè constitueretur.

II. Probabilius est non posse.

Probatur primò: si substantia sola posset producere calorem ex.g. in extraneo subjecto, non est cur ei daretur calor operativus, vel productivus caloris. Conf. substantia sola secundum adversarios sine concursu accidentis potest producere aliam substantiam, & sine concursu etiam accidentis potest producere accidentia, ad quid ergo illi dantur accidentia? Dices, ut sint dispositiones & ornamentum substantiæ. Contrà, ad quid saltem dantur ei accidentia operativa? nam videmus primas qualitates non dari solùm ut ornamentum substantiæ, sed etiam ut adiuventum, quod tamen esset omnino superfluum, si substantia per se efficere posset, quicquid potest accidens: sicut frustra calori daretur alius calor per quem produceret calorem, cum per se id possit.

III. Prima quælibet dantur substantiæ, non ut ornamentum tantum, sed adjuventum.

Dices; licet possit ignis producere calorem, non tamen producit, quando adest calor, quia non est connaturale causæ æquivocæ agere in præsentia univocæ. Contrà, si ignis per se solum, & sine alterius adminiculo, sit productivus caloris, superfluum esset calor, & causa hæc univoca, cum nullus sit finis, cur ei detur calor productivus caloris, si ignis per se sit caloris productivus: sicut si nix, lac, paries &c. essent alba per se & suam substantiam, superflua in iis esset albedo, imò impossibilis: sicut propterea dicunt omnes unionem non uniri aliâ unionem, nec actionem aliâ actione produci.

IV. Calor activus in præsentia univocæ igni esset superfluum.

Conf. sic enim daretur virtus naturalis ad effectum, quem nunquam posset naturaliter producere; sol enim secundum adversarios habet vim producendi lucem in subjecto extraneo, quam tamen non ex accidente tantum, sed etiam per se nunquam potest in eo producere, cum petat semper primò in se lucem producere, & illâ productâ, sol non potest lucem in alio subjecto efficere, sed produci semper secundum ipsos debet à solâ luce in sole existente. Idem est in aliis substantiis respectu accidentium.

V. Daretur virtus naturalis ad effectum naturaliter impossibilem.

Secundò probatur Conclusio: si substantia sola potest, producere accidens, ergo aqua calida frige faciet, seu produceret frigus in manu, si quis eam illi inferat, præsertim si non sit in aquâ valde intensus calor, illius tamen contrarium manifestâ constat experientia.

VI. Aqua calida frige faciet.

Dices; est magis connaturale calori producere calorem quia est causa univoca, quàm aquæ producere frigiditatem, utpote quæ solùm est causæ æquivocæ, ac propterea tunc producitur calor in manu, non frigus. Contrà primò, ponamus ergo aquam esse magis frigidam quàm calidam, tunc saltem aqua produceret intensum frigus in manu cum sit causa necessaria, & possit, nihilque sit quod impediatur; cujus tamen contrarium indies experimur, nunquam scilicet intensus frigus in manu produci, quàm sit in aquâ, ergo signum est substantiam aquæ non posse producere frigus in manu. Contrà secundò, sæpe causa æquivoca operatur in præsentia univocæ; si enim piper intensè frigidum opponatur linguæ statim in ea producit intensum calorem, cum tamen frigus formale quod in pipere reperitur, non agat in linguam, sub calor virtualis, ergo non semper operatur causa univoca in præsentia æquivocæ, sed est contra, cum ibi piper in præsentia frigoris, quod in se habet, producat in linguâ calorem intensum per calorem virtalem: ergo & aqua, si habeat in se vim producendi frigiditatem, etiam in præsentia caloris formalis illam produceret, vel saltem quando est magis frigida, quam

VII. Dices contra naturalitèr ibi operari causam univocam, quàm aquæ vocam.

Contrà: causa æquivoca sæpe operatur in præsentia univocæ.

quam calida : quod tamen est contra omnem experientiam.

VIII. Ignis licet ad intra producat calorem, non tamen ad extra.

Obij. potest substantia producere intra se calorem, vel frigus, ergo & in extraneo subiecto. Nego consequentiam : sicut enim non valet, calor producit calorem, ergo albedo albedinem, quia sc. est experientia in contrarium, ita nec hæc consequentia valet, substantia inter se producit accidens, ergo illud etiam producet in extraneo subiecto : sicut nec valet, ut supra adverti, accidens solum producit accidens, ergo substantia substantiam, quia sc. omnes experientia videntur innuere contrarium, imò potius innuunt à solis accidentibus produci substantias, quam

sine illorum concursu. Deinde nix, lac, cygnus &c. producunt intra se albedinem, & cornus nigredinem, non tamen extra se, ut constat.

Dico secundò : accidens solum producere potest aliud accidens. Probatur primò in albedine, & omni colore producente speciem visibilem sui, & in quocunque subiecto sint, æquè producunt has species, imò etiam separata ab omni subiecto, ut constat in speciebus Sacramentalibus. Secundò, calor in aquà calefactà producit calorem in manu illi insertà, quod idem præstat frigus, & reliqua accidentia specierum panis & vini in sanctissimo Sacramento.

IX. Accidens solum potest producere accidens.

DISPUTATIO XXVI.

De potentia Obedientiali.

Philosophia Christiana.

Um Philosophiam, non profanam, & ethnicam, sed Christianam, & Theologiæ subervientem doceamus, dum de causis agimus, quæstio hæc, quæ ad gravissimas in Theologiâ difficultates enodandas maximè conducit, non est omit-tenda, quam tamen quâ potero brevitate expediam.

SECTIO PRIMA.

Quid sit potentia obedientialis.

I. Plurimi hæc in re sunt dicendi modi.

INfinitus essem si omnes hac in re dicendi modos recenserem, resque foret & confusionis, & tædij plenissima. Præcipua ergo tantum nonnullorum placita referam, deinde quid in hac quæstione tenendum sit, aperiam.

II. 1. Sent. ait potentiam obed. esse non-repugnantiam ad obedientiam creatori.

Zumel citatus à P. Hurt. d. 9. Ph. l. 14. subsec. 3. §. 199. docet potentiam obedientialem esse non-repugnantiam creaturæ ad obediendum creatori. Sed si intelligat hæc sententia non-repugnantiam formalem, seu veram negationem, aperte refellitur, nam sicut omnis potentia, ita & obedientialis est vera virtus, & aptitudo aliquid recipiendi vel efficiendi, sed negatio nihil in se vel efficere potest vel recipere, ut constat, omnis enim effectio realis & physica est à potentia aliqua reali, sicut & quicquid reale recipitur, in subiecto reali recipiatur necesse est. Fortè ergo per non-repugnantiam intelligit Zumel non-repugnantiam solum radicalem, seu entitatem fundantem non-repugnantiam formalem, & negationem illam, tunc autem verum habere potest ipsius opinio, ut videbimus.

III. 2. Sent. docet eam consistere in qualitate superadditâ.

Thomistæ communiter affirmant potentiam obedientialem consistere in qualitate quadam animæ infusâ, per quam efficit, & recipit effectus supernaturales. Sed contrâ primò, anima Christi non recipit unionem Hypostaticam mediâ ullâ huiusmodi qualitate superadditâ. Contrâ secundò, & præcipuè: anima recipit immediatè hanc qualitatem sine ope alterius, sed hæc qualitas est supernaturalis, ergo dicendum vel potentiam obedientialem non consistere in huiusmodi qualitate superadditâ, vel dari processum in infinitum : si enim anima ad recipiendam gratiam, quia supernaturalis qualitas est, eget qualitate supernaturali superadditâ, egebit etiam aliâ ad qualitatem hanc recipiendam, cum etiam sit supernaturalis, & sic in infinitum.

IV.

Ut ergo explicetur quid sit potentia obedientialis, notandum, potentiam propriè dictam duplicem esse; activam, quæ est vis aliquid agendi, & passivam,

quæ est virtus, seu aptitudo aliquid recipiendi, vel etiam sustentandi. Utraque hæc potentia tam activa, quam passiva est etiam duplex; naturalis & supernaturalis: activa naturalis dicitur in ordine ad illos effectus quos producere res aliqua potest cum concursu generali Dei, sibi juxta communem rerum ordinem ac dispositionem debito, simul cum iis principijs, quæ juxta naturæ leges adjungi possunt, ad illos nimirum effectus, ad quos res dicit proportionem naturalem. Ex.g. intellectus creatus vim habet naturalem cognoscendi Deum abstractivè, per actum scilicet abstractivum in entitate naturalem, quia nimirum ex suis viribus, & virtute naturali conjungi potest cum omnibus comprincipijs ad hoc requisitis. Unde similiter potentia passiva naturalis est in ordine ad formas sibi proportionatas, seu quas juxta communem cursum rerum potest recipere. Potentia activa supernaturalis, seu obedientialis est potentia in ordine ad effectus illos quos ex viribus propriis, & secundum communes naturæ leges nequit efficere: sicut & passiva supernaturalis est in ordine ad formas illas, quas ex natura sua recipere non potest.

Potentia duplex, activa & passiva.

Naturalis & supernaturalis.

Dicitur autem supernaturalis potentia vel quoad substantiam, quando sc. effectus vel forma est quoad substantiam supernaturalem, ut gratia: vel quoad modum, ut restitutio visus: vel quoad utrumque, ut si Deus Angelum in duobus locis statueret per alteram vel utramque ubicationem supernaturalem: & totidem modis dicitur etiam potentia aliqua naturalis.

V.

Potentia supernaturalis quoad substantiam & quoad modum.

Est autem hæc obedientialis potentia substantialis vel accidentalis, naturalis vel supernaturalis entitativè, & materialiter, prout fuerit entitas quæ elevatur ad operandum, substantia, vel accidens, supernaturalis, vel naturalis: ut si Angelus vel gratia elevetur ad creandum alterum Angelum. Unde si albedo elevaretur ad producendum ignem, vel gratiam, operaretur ut naturalis, vel accidentalis potentia, si ly ut appellet supra entitatem meram rei producentis, non verò si appellet supra concursum, cum concursus ille sit supernaturalis, & albedini indebitus. Vocatur verò potentia obedientialis quia in operando non tam procedit secundum statutas naturæ leges, quam secundum Imperium Dei, cui res quæ vis in omnibus, ubi non involvitur contradictio, obedit.

VI.

Potentia obedientialis unde dicitur.

Est itaque potentia obedientialis formaliter ipsa entitas rei, quæ elevatur, connotans extraordinarium concursum Dei, volentis cum ipsâ concurrere ad opus aliquod supra naturales illius vires, & exigentiâ.

VII. Declaratio potentia obedientialis.

tam